

9. NE DESPICIAS (alii, *ne negligas*) NARRATIONEM PRESBYTERORUM (id est, senum) SAPIENTUM, ET IN PROVERBIIS EORUM CONVERSARE. — Est miosis: minus enim dicitur, et plus significatur: «non despicias,» id est, studiose audias, haurias et sequaris, «narrationem» senum, tum historiarum et exemplorum præteriti ævi, quas ipsi vel viderunt, vel a patribus audierunt; tum monitorum, consiliorum, documentorum similiumque rerum, quæ te docebunt prudentiam; «et in proverbii eorum conversare,» mente ea pertractando, ruminando et meditando. *Proverbia*, vel ut Græce est, *paramia*, Hebr. משלי *misle*, vocantur non solum adagia, apologi, similitudines; sed et quælibet sententiæ acutæ, vel graviter dictæ, quæ moribus formandis et componendis deserviunt, uti dixi initio libri. Unde Tigurina vertit, *in promuntiatibus eorum*; Vatablus, *in sententiis, vel scite dictis eorum versare*; Syrus, *ne derelinquas narrationes sapientum, et in parabolis eorum esto disputans* (ruminando eas tecum, vel cum aliis eorum vim disquirendo et perscrutando), vel *calcans* assidue eas terendo, in iisque incedendo, et juxta eas vitam instituendo. Causam subdit:

10. AB IPSIS ENIM DISCES SAPIENTIAM ET DOCTRINAM INTELLECTUS, ET SERVIRE MAGNATIS SINE QUERELA. — «Sapientiam» vocat cognitionem rerum multarum et magnarum; «doctrinam intellectus» vocat Ethicam, sive prudentiam, qua quis intelligenter, id est prudenter, cum quibuslibet versetur, et munia sua peragat. Græca de more concisa sic habent, *ab illis enim discas παιδείαν*, id est *disciplinam*, et *εμπειρίαν*, id est *faciliter*, et dextre, *servire proceribus*; Syrus, *ab iis accipies doctrinam in tempore, quo steteris eorum principibus*. Magna enim opus est prudentia et dexteritate, ut quis rite conversetur in aulis principum, vel reipublicæ negotia tractet cum fide, et simul cum gratia omnium, ne vel princeps, vel consilarii, vel aulici, vel populus de eo queratur, aut queri possit: pauci enim a principe exaltati in aula consenscunt sine offensa, quin et pleriquæ gratia principis et gradu suo excidunt; qui ergo sapiunt, tempestive ruinam prævident, et ex aula se subducunt.

Aulici ergo prudentes norunt faciuntque illud Taciti: «Quanto quisque promptior obsequio, tanto citius honoribus et opibus extollitur.» Et illud Sapientis: «Invidiam supera modestia et humilitate; injurias vince patientia. Omnibus omnia fias: quæ tollere non potes, dissimula; scemata et probra hilaris absorbe.» Unde ille rogatus quomodo præter aliorum morem in aula consensisset, respondit: «Omnibus me substernendo, et acceptæ injuria gratias agendo.» Nebridium laudat S. Hieronymus, *epist. ad Salvianum*, ejus nuper uxorem, jam viduam: «Nutritus, ait, in palatio, contubernalis et condiscipulus Augustorum, non est inflatus superbia, nec

cæteros homines adducta fronte contempsit; sed cunctis amabilis, ipsos principes amabat ut fratres, venerabatur ut dominos. Ministros autem eorum, et universum ordinem palatii sic sibi charitate sociarat, ut qui merito inferiores erant, officiis se pares arbitrantur. Difficile factum est gloriam virtute superare, et ab his diligi quos præcedas.»

Qui hanc artem nesciunt, aulam experiuntur caulam, imo caulæ incolis miseres evadunt. Nam, ut ait Plutarchus in *Arato*: «Amicitia regum et tyrannorum ferventes ac repentinæ, et ardore quodam amoris subito incenduntur; sed labefactari expugnarique facili possunt, et veluti ventis, invidiæ atque calumniæ flatibus assidue agitantur.» Apposite quoque Polybius, lib. V: «Brevia momenta plerumque extollunt homines, rursusque deprimunt; imprimis vero eos qui in aulis versantur: isti enim profecto similes sunt mensarum calculis, qui prout calculatori lubet, modo assem, modo talentum valent: ita aulici ad nutum principis modo beati, modo miseri fiunt.»

11. NON TE PRÆTEREAT NARRATIO SENIORUM: IPSI ENIM DIDICERUNT A PATRIBUS SUIS. — Græca, *ne discedas a narratione seniorum; ipsi enim a patribus suis nacti sunt eruditionem*. Ita Complutenses et Tigurina. At Syrus, *ne contristeris in narrationibus senum, qui audierunt a patribus suis*. *g. d.* Doctrina senum est sedata et solida, quia traditione a patribus accepta, longoque usu et experientia confirmata: illam ergo sequere, non juvenum inventiones et conceptus, qui uti præfervidi et acuti sunt, ita sæpe instabiles, fallaces, difficultatibus et erroribus, quos non præviderunt, quique postea deprehenduntur, se suosque involvunt et implicant.

Hoc est quod toties inculcat Moses et Propheta, ut filii doceantur a parentibus, juvenes a senibus: «Docebis, inquit, ea filios et nepotes tuos,» *Deut. iv, 9*, et *cap. xi, 19*; *Isaiæ xxxix, 21*; *Psal. lxxvii, 3*. Prudenter Plutarchus lib. *An seni sit gerenda resp.*: «Sicut ibi aiunt (inquit) cum vetus est facta, exhalatis virosis ac turbidis partibus, odoratiorem habere aromaticam virtutem: sic decretum senile nullum tumultuosum habet consilium; sed gravia omnia et firma. Quapropter juvenum gratia senibus est in republica versandum, ut quomodo Plato de vino aqua diluto ait, insanum deum alio sobrio coerceri atque temperari: ita cautio senilis cum fervente in populo juvenum, ac bacchante gloriæ et honorum studio commixta, insaniam et nimiam vehementiam eorum reprimat.»

12. QUONIAM AB IPSIS DISCES INTELLECTUM (Græce *εὐνοία*, id est intelligentiam, prudentiam), ET IN TEMPORE NECESSITATIS DARE RESPONSUM, — ut respondeas apte et congrue loco, tempori et personis, quando interrogatus de re gravi, dubia vel ancipiti, necesse tibi erit respondere apposite et prudenter, ne quem offendas et periculum incurras.

Tigurina, *quapropter sapere discas ab eis, et opportuno tempore respondere*. Magnæ sapientiæ et prudentiæ est posse rite quibuslibet interrogantibus respondere: cum enim vita nostra plena sit difficultatibus, dubiis, ignorantibus, difficile est omnibus vere et prudenter respondere, ac dare cuique sapiens consilium: hoc autem a senum prudentia, quasi a fonte affatim promemus. Huc facit illud Euripidis in *Bellerophonte*: «Tempus illius velut carbonibus accensis incenderis flamma peccatorum, id est, scelerum ejus. Hoc est, ne irrites bilem scelerati, ne ejus flamma comburaris, ne scilicet ab illo irato et exardescente lædaris, vel ab eo ad similem iram, lites, rixas et cædes atque scelera provoceris. Cum enim non est spes emendationis, nec aliud ex correptione speratur, quam indignatio correpti, vel etiam corripientis, insipienter et cum periculo illa adhibetur. Græca, *ne accendas carbonem peccatoris, ne inendaris in igne flammæ ejus*; Syrus, *ne sis communicans cum impio consummato* (id est, perfecto, absoluto: hic enim vocatur peccator, a peccandi habitu et obstinatione, juxta illud *Psal. i, 1*: «Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum, et in via peccatorum non stetit»), et *ne ardeas in flamma ignis ejus*; Tigurina, *ne in flammis carbonibus scelerosi* (reprehendendo), *ut ne conseris flammis ignis* (peccatorum) *ejus*; alii, *ne incende carbonem peccatoris, ne conflagres igne flammæ ipsius*. Pulchra est metaphora a carbonibus, *g. d.* Sicut carbonem restincti non ardent; at, si tolle vel flabello succendantur, non tantum ardent, sed et arunt accendentem: ita qui iram et malitiam peccatoris sopitam excitat, ab ea sæpe corripitur et perditur. Non ergo sunt hic duo præcepta, ut volunt nonnulli, scilicet, primum, ne suscites bilem peccatori; secundum, ne simili bile corripitur: sed unicum, scilicet, ne suscita bilem peccatori, quia, si hoc feceris, eadem incenderis, id est lædaris, et male mulctaberis, vel simili bile contendendo cum eo accenderis: utrumque enim significat *τὸ* in-

illud vulgo tritum: «Vino veteri utere.» Et illud Plinii lib. XXII, cap. xxv: «Vetus panis medetur oculis.» Denique Job cap. xii, 12: «In antiquis, ait, est sapientia, et in multo tempore prudentia.» Festive R. Josi in *Pirke Avoth*, id est, in *Apophthegm. Patrum*: «Qui, inquit, a junioribus discit, similis est ei qui omphacium bibit, aut acerbam uvam, et vinum non satis excoctum; qui autem senes habet magistros, hic assimilatur bibenti vinum vetus, quod ut plurimum optimum est ac præcipuum, ac uvas comedit jam plane maturas.» In vestibus enim quaeritur novitas, in vino vetustas.

TERTIA PARS CAPITIS,

QUA DOCET NON ESSE ARGUENDOS OBSTINATOS, CONTUMELIOSOS, FORTIORES, JUDICES, IRACUNDOS, AUDACES.

13. NON INCENDAS CARBONES PECCATORUM, ARGUENS EOS: ET NE INCENDARIS FLAMMA IGNIS PECCATORUM ILORUM, — *g. d.* Ne peccatorem suis cupidinibus affixum et incorrigibilem arguas: alioqui ejus bile velut carbonibus accensis incenderis flamma peccatorum, id est, scelerum ejus. Hoc est, ne irrites bilem scelerati, ne ejus flamma comburaris, ne scilicet ab illo irato et exardescente lædaris, vel ab eo ad similem iram, lites, rixas et cædes atque scelera provoceris. Cum enim non est spes emendationis, nec aliud ex correptione speratur, quam indignatio correpti, vel etiam corripientis, insipienter et cum periculo illa adhibetur. Græca, *ne accendas carbonem peccatoris, ne inendaris in igne flammæ ejus*; Syrus, *ne sis communicans cum impio consummato* (id est, perfecto, absoluto: hic enim vocatur peccator, a peccandi habitu et obstinatione, juxta illud *Psal. i, 1*: «Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum, et in via peccatorum non stetit»), et *ne ardeas in flamma ignis ejus*; Tigurina, *ne in flammis carbonibus scelerosi* (reprehendendo), *ut ne conseris flammis ignis* (peccatorum) *ejus*; alii, *ne incende carbonem peccatoris, ne conflagres igne flammæ ipsius*. Pulchra est metaphora a carbonibus, *g. d.* Sicut carbonem restincti non ardent; at, si tolle vel flabello succendantur, non tantum ardent, sed et arunt accendentem: ita qui iram et malitiam peccatoris sopitam excitat, ab ea sæpe corripitur et perditur. Non ergo sunt hic duo præcepta, ut volunt nonnulli, scilicet, primum, ne suscites bilem peccatori; secundum, ne simili bile corripitur: sed unicum, scilicet, ne suscita bilem peccatori, quia, si hoc feceris, eadem incenderis, id est lædaris, et male mulctaberis, vel simili bile contendendo cum eo accenderis: utrumque enim significat *τὸ* in-

enderis. Copula ergo *et* copulat hic, non præceptum cum præcepto, sed fructum præcepti cum præcepto; unde idem valet quod *ut*, uti vertit Tigurina: quare Græca non habent *τὸ* et. Alio sensu ait Apostolus *Roman. xii, 20*: «Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbonem ignis congeres super caput ejus:» illi enim sunt carbonem charitatis, qui charitatem inimici accendunt. Unde explicans subdit: «Noli vinci a malo; sed vince in bono malum.» Hi vero sunt carbonem cholerae, qui choleram peccatoris inflammant. Nam, ut ait S. Basilius homil. *De Ira*: «Sicut canis latrans alterius canis tumultum provocat, sic et animum tuum quiescentem vox illius excitat, et facti estis inter vos latrantes. Dixit ille aliquid contumeliosum; tu vero insipientis imitatus stultitiam, majori furore reddidisti,» etc. Et S. Gregorius, lib. VII, *epist. 51*, et V *Moral. xxxi*: «Fit plerumque, ait, ut ad manus ira prosiliat, et eo furor membra in actibus foris exerceat, quo intus ipsam membrorum dominam mentem captivam tenet.» Plura vide apud eundem eodem libro, cap. LI, LI et LIII.

Congruo ordine Siracides a contemptu aliorum descendit ad increpationem: hæc enim duo vicina et quasi con'igna. Sicut ergo a vers. 6 hucusque docuit qui non sint contemnendi, sic jam et deinceps docet qui non sint increpandi et arguendi, nimirum obstinati, contumeliosi, fortiores, judices, iracundi, audaces. Hac de causa Ezechias rex vetuit populo ne Rabsaci Assyrio blasphemanti responderet, ne scilicet responsione irritatus magis insolesceret et blasphemaret, *Isaiæ xxxvi, 21*. In quem locum S. Hieronymus lib. II in *Isaiam*: «Iratu Ezechias, inquit, agens cuncta fideliter, universaque consilio, ideo jusserat blas-

phemanti Assyrio non responderi, ne eum ad majores blasphemias provocarent. Unde scriptum est: Ne succendas carbones peccatoris. »

Idem S. Hieronymus vel potius Beda (Commentarius enim in *Proverb.* non est S. Hieronymi, sed Bedae) in cap. XIX. *Proverb.*: Subjectum, inquit, tibi quemlibet si errare conspicias, diligenter castigare curato; quod si curari renuit, ita circa illum circumspecte et temperanter age, ne quid omnino in tuis verbis vel actibus, unde amplius puecet, inveniat. Qui impatiens est, sustinebit damnum: si enim duritia contradicentis fratris, quem erudire cepisti, provocatus ipse in impatiencia vitium labaris, damnum profecto tuae virtutis incurris: et cum illi durius forte increpando, spem promerendae salutis, agendaque poenitentiae, quam naberat, rapueris, rationem pro eo quod fratrem scandalizasti, districto iudici reddes. »

Quocirca S. Basilius in *Regul. brevior.*, interrog. 90, quaerit quo animi affectu quis alium corripere debeat; et respondet: « Quali uteretur pater et medicus, cum misericordia ac lenitate, si filium suum curaret. » Et S. Bernardus in tract. *De Gradibus humilitatis*: « Apostoli, inquit, praecipuum est ut mansueto, id est, eo spiritu fratri aegrotanti subvenias, quo tibi vis subveniri, cum aegrotas. » At medici, quae cruda sunt, nec concocta, moveri prohibent. Hinc Hippocrates *Aphorismis*. 22 primae partis jubet « concocta medicari, et movere non cruda, neque in principiis. » Hippocratem de more secutus Galenus *Aphorismo* 11 primae sect.: « In exacerbationibus, inquit, et quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet. » Sicut ergo dum febris, similisve morbus incrudescit, abstinendum est pharmacis, ne morbus exacerbetur et increseat: sic pariter, dum peccator ira similisve passione exacerbatur, est abstinendum correptione, et expectandum, dum passio detumuerit, ipseque menti redditus medicinam correctionis admittat. Hujus rei symbolum est avis dicta pelicanus, vel onocrotalus: hunc enim eundem esse cum pelicano docet Aldrovandus tom. III *Ornithologicae* lib. XIX, cap. II, quia rudis et vociferatur instar asini: unde stoliditatis et imprudentiae est symbolum, ait Horus Apollo. Cum enim aucupes ejus nidum accendunt, ipsa advolat, et quassatione alarum ignem restinguere dum conatur, non tantum eum velut flabello magis accendit, sed et alas suas amburit, quo fit ut volare non possit, itaque ab aucupe capiatur, teste Pierio *Hierogl.* lib. XX cap. LXI. Sic pariter, qui peccatorem iratum corripunt acrius, non eum corrigunt, sed magis inflammant, ut utrinque jurgari incipiant, ac subinde a verbis ad verbera transeat. Quid hoc est aliud, quam cum cane rixari, et latranti oblatrare, quam contra furnum aestuantem hiare, quam leonem minis velle cicurare? Quid enim est ira, nisi fera indomita, puta leo vel tigris, quae

furore, non ratione, agitur? Unde cap. XXVIII, 13, ait Siracides: « Certamen festinaturn incendit ignem et lis festinans effundit sanguinem, etc. Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit; et si expueris super illam, exstinguetur. » Sapienter Poeta:

Dum furor in cursu, currenti cede furori.

Et R. Simeon in *Pirke Avoth*, id est, in *Aphorismis Patrum*, cap. IV: Noli, inquit, frustra conari, ut eum blandis sermonibus lenias, in quo adhuc fervet iracundiae spiritus; neque in vanum studeas amici tui mitigare dolorem, cum adhuc ei ante oculos extensus jacet mortuus; nec devoti se praere ira de voti absolutione sermonem facias; nec denique videre eum aut consolari queras in fervore calamitatis suae. Sed cum lugente luce, uti fecerunt amici Job cap. II, vers. 13. Denique symbolum est Pythagorae: « Ignem ferro ne caedito, id est, ne irrites furentem; » et: « Gladium acutum sepone, id est, vitae iracundiam. » Simile est illud Euripidis:

Dicentibus duobus, irato altero,
Qui non repugnat dictis, est sapientior.

14. NE CONTRA FACIEM STES CONTUMELIOSI, NE SEDEAT QUASI INSIDIATOR ORI TUO, q. d. Noli jurgari et rixari (unde Itali *contrastare* vocant litigare, contendere, rixari) cum contumelioso; quia ipse insidiosae observabit omnia tua verba, ut ex iis te calumnietur, traducat, infamet et opprimat. Quocirca Graeca habent, *ne assurgas* (ad verba acria et contentiosa) *propter contumeliosum, ne insideat velut insidia ori tuo*; Syrus, *ne consurgas a facie iniqui, ne fiat insidia coram te*; Tigurina, *ne inveharis in contumeliosum* (Vatablus, *ne commovearis a contumelioso*), *ut ne quasi subsessor ori tuo insidietur*. Varietas haec versionum clare mentem Siracidis explanat. Cui succinit adagium Arabicum, *Centur.* 1, num. 12: « Esto asinus silvestris, cui superveniunt viatores, » id est, quando superveniunt tibi rixae, et rixosi, declina eas, fuge, ne consistes. Solet enim onager velocissime abripi, ita ut ab instituto cursu revocari nequeat. Xenophon in *Cyro Minore*, lib. I, tantam ejus pernicitatem fuisse scribit, ut equos cursu longe superaret. Simili studio quoque rixosi et contumeliosi fugiendi sunt. Praeclare S. Gregorius Nazianzenus, epist. 62 ad *Eustachium maledicum*: « Eruditus sum, inquit, ut, cum calvus essem, cum ariete obversa fronte ne congrederer, nec crabronem lacessem et irritarem, hoc est, linguam ad maledicendum paratiorem. »

15. NOLI FOENERARI FORTIORI TE; QUOD SI FOENERAVERIS, QUASI PERDITUM HABE. — Graece: *Esto quasi qui perdidit*. Porro *foenerari*, id est, mutuum dare. Hebr. enim נָשָׂא *nasa*, aequae ac Graecum δανείζω, tam mutuo, quam usurae tribuitur, tamque mutuare quam foenerari, et ad usuram dare significat: unde δανείζω est mutuum, debitum, aes alle-

num, foenus. Sic foenerari pro mutuare capitur cap. XXII, vers. 2 et 10, ubi pluribus haec sententia, mutuique damna recensentur. Nam usura jure naturae et divino est illicita: quare prohibita fuit tam Judaeis quam Gentibus, etsi Judaei moderni censeant sibi licitum esse foenerari Christianis caeterisque Gentibus, modo non foenerentur Judaeis, idque censeant sibi indultum illis *Deuter.* XXIII, 19, verbis: « Non foeneraberis fratri tuo ad usuram, sed alieno. » Verum perperam, uti ibidem ostendi.

« Fortiorem hic, non viribus validum, sed elatione tumidum nuncupat, ait Rabanus, quia superbo, id est haeretico, communicare injuriae magis est incrementum, quam quietis emolumentum. Et ideo in omni re magis devitandum est ejus consortium, quam alicujus lucri aut eloquentiae per eum appetendum adminiculum. Perdit enim foenus, qui ingrato tribuit; et minuit substantiam, qui perverso communicat. » Syrus verit: *Ne mutuum dederis ei qui est fortior te, et si mutuum dederis, esto sicut amittens*; Tigurina: *Ne quid mutuo dederis homini potentiori; quod si dederis, pro amisso habeas*: quia ille robore et potentia sua fretus non solvet, imo arrogans censebit mutuum suum esse, sibi que debitum; nec tu audebis repetere: quod si audeas, non poteris eum cogere; imo periculum est ne pejus ab eo muleris. Videtur haec sententia diversa plane et disparata a praecedentibus, quales in hoc opere, aequae ac in Proverbiis, sunt multae. Veteres enim gnomologi non curant sententiarum ordinem, nec connexionem; potest tamen haec praecedentibus sic apte connecti, q. d. Noli foenerari fortiori te: quia, cum foenus ab eo repetere, cogaris contrastare, ut praecessit, id est, litigare et rixari cum eo, ut sicut vers. praecedenti dixit, non esse contendendum cum contumelioso, quasi cum cane latrante: sic hic dicat non esse contendendum cum potente et robusto, quasi cum leone rugiente.

16. NON SPONDEAS SUPER VIRTUTEM TUAM (supra vires tuas): QUOD SI SPONDERIS, QUASI RESTITUENS COGITA, — q. d. Cogita qua ratione illud restituere et solvere poteris. Unde Graeca habent: *Ne fidejubeas super vires tuas; quod si fidejusseris, esto sollicitus perinde ac soluturus*; Syrus: *Ne fidejubeas ei qui fortior est te, et si fidejusseris, esto sicut solvens*. Qui enim fidejussor est pro debito alterius, saepe eo deficiente, debitum ejus solvere cogitur. Unde illud: « Sponde noxa praesto est; » quod inter tria praecipua Apollinis oracula erat tertium, teste Laertio. Pythagorae vox est: « Age res praecaras, nihil magnifici interim promittens. » Theagenes vero ludibrium fuit sui aevi, quod, cum pauper esset, multa tamen supra vires promitteret: unde vocatus est κκενός, id est fumus, quod fumos verborum venderet. Optime Salomon: « Nubes et ventus, ait, et pluviae non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens. » *Proverb.* XXV, 14. Minus recte Palacius spondere accipit pro vo-

vere, q. d. Noli Deo vovere quippiam, quod sit supra vires tuas, vel tibi valde difficile: quia, quod vovisti, teneberis praestare, saltem partem quam potes, si totum non potes. Graecum enim ὑποσχεσθαι non vovere, sed fidejubeere et spondere significat. Nam sicut vers. praeced. cautionem dedit de mutuo, sic hic dat de fidejussione. Potest tamen haec sententia extendi ad quodvis promissum. Graecum enim ὑποσχεσθαι tantum significat fidejubeo, sed et fidem do, sive promitto, ut sensus sit, q. d. Ne promittas quid supra vires, ne fidem tuam homini obliges ad praestandum aliquid, quod tam facultatem superat; quia si fidem tuam obligaveris, cogaris eandem re ipsa praestare. Hac ratione haec sententia a pari vel potiori extendi vel aptari potest ad votum, quod est promissio facta Deo, q. d. Ne voveas rem aliquam, v. g. religionem, ejus austeritatem et onera vires tuae non ferant, vel aegre ferant. Ita Rabanus, et noster Jacobus Alvarez de Paz *De Extern. mali*, lib. III, part. 1, cap. 8, et alii. Hoc est quod dicitur *Eccles.* v, 3: Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, etc. Quodcumque voveris, redde; multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. » *Deuter.* XXIII, 21: « Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. »

Alludit ad *Proverb.* VI, 1, ubi Salomon graphice aretam fidejussionis obligationem et periculum depingit: « Fili, ait, si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, et captus es propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui. Discurrere, festina, suscita animam tuam: ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebrae tuae. Eruere quasi damula de manu creditoris (quasi venatoris), et quasi avis de manu aucupis, » q. d. Imitare damulas et aves, quae omni studio retia vitant aut effugiunt. Damula est dorcac, vel caprea, quae aegre a venatore capitur, teste Plinio, tum quia visu est acutissimo, indeque a δεικτικόν, id est, videndo, dicta est doreas: videns ergo eminens venatores et retia, illico diffugit; tum quia velocissima est et agillima, adeo ut retia transiliat, et in montes ac rupium juga hominibus bestiisque impervia transcendat, et quasi transvolet. Simili modo et tu laqueos creditorum omni conatu effugito.

Tropologice S. Gregorius, III parte *Pastor.*, Admonit. 3, haec recte adaptat Praepositis et Pastoribus; hi enim spondent, seque obligant pro cura et salute subditorum, ac proinde pro ea jugiter solliciti esse et pervigilare debent, uti ait Paulus *Hebr.* XIII, 18: « Spondere, ait, pro amico, est alienam animam in periculo suae conversationis et sollicitudinis accipere, » etc.

17. NON JUDICES CONTRA JUDICEM, QUONIAM SECUNDUM QUOD JUSTUM EST, JUDICAT. — Pro *judices*, Graeco

est δικασθου, quod verbum est forense, significatque causam agere, litigare, æque ac judicare. Pro quod *justum est, judicat*, videtur Noster in Græco legisse, κατὰ τὸ δίκαιον κρίνει. Jam legunt, κατὰ τὴν δόξαν αὐτῶν κρίνουσιν αὐτῶν, id est, *ne judices, vel causam agas, contra judicem, quia secundum opinionem ejus judicabunt eum, q. d.* In dubio an judicatum sit bene, præsumptio erit pro judice; præsumitur enim judex a principe, vel republica maturo consilio constitutus, esse æquus, sapiens, jurisperitus, causamque exacte examinasse, ac proinde dicent eum justas habuisse causas ita judicandi, etiamsi illæ subinde alios lateant. Rursum judices alii cæteris paribus judicabunt pro judice, ejusque sententiam confirmabunt, quasi ejus in officio socii et symmystæ, ne et ipsorum sententia ab aliis judicibus vicissim retractetur, et quasi injusta damnatur. Porro Græcum δόξα significat quoque dignitatem; unde aliqui vertunt, *nam secundum dignitatem jus ei reddunt, q. d.* Dicent judicem, utpote in dignitate et officio constitutum, jus habere, et juste judicasse; quare *sententia secundum ipsum pronuntiabitur*, ut vertit Tigurina.

Solent plebei, cum in lite causa ceciderunt, ex dolore et indignatione queri de judice, quasi ab eo sibi facta sit injuria, eo quod causa eorum in communi vel abstracto spectata, speciem quamdam æquitatis habere videatur; qua in re graviter errant et peccant, quia non considerant circumstantias particulares facti, quæ sæpe speciem acti mutant, ut ex æquo fiat iniquum. Rursum gnorant jura positiva, sive divina, sive humana, puta Canonica et civilia, secundum quæ judex judicavit. Monet ergo eos Siracides, ut a judicio hoc fallaci et temerario absterneant. Sicut enim philosopho in re philosophica, Theologo in re Theologica, medico in re medica, fabro in re fabrilis: ita judici in re judicata fides est adhibenda: « Unicuique enim in sua arte credendum est, » nisi manifeste appareat contrarium, scilicet eum vel ob munera, vel ob gratiam divitum, vel per crassam ignorantiam iniquam tulisse sententiam. Adde: Deus cuique in officio adest, ut illo rite perfungatur. Adest ergo judici, ut recte judicet, juxta illud: « Divinatio in ore regis; in judicio non errabit os ejus, » *Proverb. xvi, vers. 10.* Multo magis: « Divinatio in ore judicis, in judicio non errabit os ejus. » Ad judicem enim proprie judicium spectat, potius quam ad regem. Noli ergo temere judicem judicare tum, ne contra stimulum calcitres: judicis enim judicio stabitur, non tuo; tum ut in judice Deum, cujus vices gerit, nonores. Scriptum est enim *Psal. lxxxii, 1:* « Deus stetit in synagoga deorum (Hebr. *elohim*, id est *judicium*); in medio autem deos (judices) dijudicavit, » ubi Chaldaeus vertit, *Deus, cujus majestas commemoratur in congregatione iustorum, qui potentes sunt in lege, in medio judicum in veritate judicavit, q. d.* Deus assistit judicibus, ut vice sua recte justoque judicent. Et *II Paral. xix, 6:* « Non homini, sed

Deo judicatis, qui vobiscum est in verbo judicii. » Deo ergo detrahit, qui detrahit judici, ait Lyranus. Hujus rei symbolum fuit virga Mosis et Aaronis, quæ in se sicca, a Deo tamen electa fronduit, floruit, fructusque illico protulit, ac plagas Ægypto intulit, vindicans oppressionem Hebræorum. Virga enim symbolum est recti judicii, quod exhibet judex, cum a Deo electus fuerit. Tunc enim a Deo quasi animatus et inspiratus, fructus veritatis, veras, inquam, sententias, profert et proloquitur.

Salomonem secutus Pythagoras, hoc statuit symbolum: « Staterem ne ingrediaris, id est, limites judicii et justitiæ ne excedas. » Ita Plutarchus lib. *De Liber. educ.* Huc facit apophthegma Syrorum: « Libræ ne opponas ferrum, id est, judici et justitiæ ne ponas obstaculum, ut tuam duritiem duramque cervicem illi opponas. » Syrus plane aliorum abijt; sic enim vertit: *Ne seideas cum judice iniquo in judicio, ne secundum voluntates ejus judices cum eo.*

18. CUM AUDACE (Græce *τολμηρόν*, id est temerario, audace, feroci) NON EAS IN VIA, NE FORTE GRAVET MALA SUA IN TE, — ne, scilicet, mala sua in te exoneret, iisque te gravet; quia, cum multa faciat ex audacia et temeritate, imprudenter et periculose, ejus periculorum eris particeps, quia consiliorum et actionum ejus habebis conscius et socius, quin et ipse te pertrahet, ut ei revera coopereris, sisque in audacia sodalis. Pro « gravet in te, » græce est, βαρύνεται κατὰ σοῦ, quod Complutenses vertunt, *ne gravetur contra te; alii, ne tibi sit gravis; Tigurina, ne facias iter cum temerario, ne ingravescat adversum te, q. d.* ne temerarie te invadat, spoliat, affligat, lædat vel occidat. Unde Syrus, *cum homine aspero ne incedas per viam, ne forte asperum faciat (aggravet) malum tuum.*

IPSE ENIM SECUNDUM VOLUNTATEM SUAM VADIT, ET SIMUL CUM STULTITIA ILLIUS PERIES, — q. d. Ipse enim sequitur, non rationem ducem, sed suam temeritatem et cupiditatem, quæ eum et te cum eo perdet. Græce, *nam ipse, quod valuerit, faciet, et tu simul cum amentia illius peribis; Syrus, quoniam ille coram facie sua vadit, et tu in stultitiam ejus peribis.* Hoc est quod ait Salomon *Proverb. xviii, 2:* « Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus. Porro, « qui nihil omnino timet, sed omnia adit, audax efficitur, » ait Aristoteles lib. II *Ethic.* cap. II. Idem lib. III, cap. VII: « Audaces, ait, præcipites sunt, voluntque ante ipsa pericula periclitari: in ipsis vero constituti absistunt; sed fortes, in operibus ipsis acres ac celeres, antea quieti sunt. » Unde sapienter Salomon *Proverb. xxiv, 1:* « No'i, ait, esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso; ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ. »

Audax ergo similis est tauro, qui præit agmen armentorum, quem proinde omnia velut caput et ducem sequuntur. Rursum audax est velut flu-

men rapidum, quod omnia magno impetu convolvit, agit et jactat, donec secum abripiat in mare; sic audax omnes secum rapit ad rapinas, stupra, cædes, ac tandem in gehennam. Sic Catilina nobilissimos Romanorum sua audacia pertraxit in conjurationem contra patriam ac bellum, quo omnes cum eo misere trucidati sunt. Sic Lucifer audax rebellans Deo traxit secum tertiam partem stellarum. id est, angelorum. Idem « misit ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine, » *Apoc. xii, 15.* Idem faciunt audaces hæretici, qui in suas hæreses et scelera cætera, indeque in tartara omnes pertrahere satagunt, de quibus vide S. Gregorium lib. XIII *Moral.* cap. VII, S. Hieronymum in *Jerem.* II, S. Augustinum in *Psal. lxxxviii.* Audacia enim facit animosos ad omne nefas, ut faciant quidquid libet, juxta illud *Psal. lxxx, 13:* « Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adventionibus suis. »

Tales ergo fugiendi sunt ut pestes, quæ sui contagio omnes inficiunt et necant. Nam, ut ait S. Basiliius, *Constit. Monast.* cap. xxxiv: « Fit sæpe ut contagio ista latius serpens, eos etiam qui recto itinere sunt, aberrare faciat, distinctos a recta et justa via; et cunctorum exitii ille pœnas luet, a quo peccandi causa profecta fuerit. » Et paulo post: « Quocirca non absurde nos ratio impellit, ut qui spirituales disciplinas violant, illos ab eorum qui ipsam conservant congressione secludamus. » Vide eundem in *Reg. brevior.* interrog. 53, et *hom. 9:* « Quemadmodum, inquit, in pestilentibus locis sensim attractus aer, latentem corporibus morbum injicit: sic identidem in mala consuetudine, maxima nobis mala hauriuntur. » Hinc Paulus II *ad Thessal. iii, 6:* « Denuntiamus autem vobis, fratres, ait, in nomine Domini nostri Jesus Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. » Olim Gentiles iter facturi invocabant Herculem, ut eos suo robore contra omnes hostium incursus tutaretur; nunc fideles invocant S. Raphaelem, qui dux viæ fuit Tobiae; et S. Joseph, qui Jesum et Mariam duxit in Ægyptum. Unde supplices dicant: « Angelus et Joseph, Jesus et Maria me deducant in via. »

Huc pertinet apologus equi et muli, pulchris gnomis velut gemmis opere phrygio scite acupictus apud Cyrillum lib. II *Apologorum moralium*, cap. IV, cui titulus, *Contra audaces:* « Loricatus equus, inquit, sub milite de longe prælium odoratus, mox gloria narium erectisque auribus cum arrogantia capillorum, audacitatis suæ misit hinnitum. Cumque avida et instabili ungula se in cuneum hostium immittere anhelaret, illi mulus adstitit, qui et dixit: Pone, frater, lethalem audaciam, et pavescens fuge, quoniam diræ transeunt sagittæ, ac lanceæ penetrant, et recordare quia audus et mollis subtus te est venter tuus. At ille

flamma pectoris ad verbum illud indignatus, sociali male gratus consilio talia refudit: Bene appareat, mule, quod sis asini filius, et ob hoc corde frigidus, semper timidus fuisti atque tardus. Quære tu tibi latibulum, et te custodiant mus et lepus. Quibus dictis, cum rapido cursu mox se misisset in hostem, hinc inde diris vulneribus perforatus, fuso sanguine, soluto regimine, debilitate corporis se prostravit. Deinde cum mulus semivivum hunc invenisset jacentem, derisit audacem, et subsannans arrogantem tot malis humiliatum, subjunxit: Ut quid te, carissime, Buccephalus genuit, postquam bulliente pectore vitam cum sanguine perdidisti? nimirum bene scripsit Aristoteles, quod semper calidi, corde fatui, capite furiosi, et amatores sint vini. Inde furit ebria, esque spei dedita juvenus insana. » Deinde exemplis a natura situque cordis petitis ponendam docet audaciam, atque: « Verum ne cor in audaciorum dementia bulliat, ipsum splene subter, capite desuper, et jecore lateraliter, ad calorem ejus mitigandum, moderatrix natura vallavit. Apertis quidem oculis dormit lepus, quia qui corde est timidus, pro ejus custodia semper vigilante prudentia, in acie alatus timore requiescit securus. Sic cor parvum virtute collecta magis est vigorosum; cor autem grande naturaliter minus viget. Audax nauta facit naufragium, timorosus vero salvus venit ad portum. Quamobrem (*Proverb. xxiv, 14*) beatus homo qui semper est pavidus, quoniam ad salutem timor rebus viventibus est provisus. Quo dicto, equus audax toto fuso sanguine extinctus est. »

19. CUM IRACUNDO NON FACIES RIXAM, ET CUM AUDACE NON EAS IN DESERTUM. — Græca pro *iracundo* et *audace* habent unam vocem *θυμώδης*, id est, animosus, iracundus, audax; iracundi enim solent esse audaces, et audaces iracundi: abundant enim sanguine et bile, quæ generant iram et audaciam. Audax enim dicitur, qui aliis facile nocere audet, ait Palacius. Quare similis est sævo lupo et tauro feroci, qui in omnes cornibus sævit instar furiae. Tigurina, *ne committas pugnam cum iracundo, neve desertum cum eo perambules; Syrus, cum impio ne contendas contentione, et ne contendas cum eo in loco deserto.* Causam subdit:

QUONIAM QUASI NIHIL EST ANTE ILLUM SANGUIS (nihil æstimat effusionem sanguinis, cædem et homicidium); ET (id est idcirco) VBI NON EST ADJUTORIUM (puta, in loco deserti) ELIDET TE, — q. d. Duo solent absterrere a scelere et cæde, scilicet, horror facinoris, quo caret audax; et homines qui prohibeant, quibus caret solitudo, locusque desertus: quare utroque hoc freno carens audax, velut effrenis ruet in tuam necem. Unde Tigurina, *quoniam homicidium pro nihilo ducet, et ubi nihil est opis, prosternet te; Syrus, quoniam despicibilis est sanguis tuus in oculis ejus, et nisi habeas liberatorem, occidet te.* Quam hoc sit verum docuit parricidium Cain, qui Abelem fratrem, duxit in